

In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram: id est omnes mortales, qui aliquando in pulverem עפר redigendi sunt, Deum adorabunt et genua flectent, seu tandem aliquando generalis omnino fiet hominum ad Deum conversio. Nonnulli haec intelligunt de pauperibus et abiectis hominibus qui descendunt in terram, id est, ob humilem et obscuram vitae conditionem pro nihilo reputantur in terra, quos hic opponeret *pinguibus terrae* antea nominatis. Eusebius vult hic allusionem fieri ad externum orandi modum in antiqua Ecclesia usitatum per corporis prostrationem, et oris in terram demissionem. Sed prior explicatio verisimilior videtur.

Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi. In hoc versiculo, ut etiam in sequenti, non parva differentia occurrit inter hebraicum textum et LXX cum Vulgata latina. Textus enim coniungit priora verba cum versiculo praecedenti, eademque legit: *et anima eius non vivet*, quasi nempe esset explanatio verborum quae praecesserant: omnes qui descendunt in terram; quasi diceret Deum adorabunt omnes qui in sepulchrum descendunt, et qui vita iam functi sunt. Quo videretur alludere ad animas fidelium in sinu Abraham seu in lybmo detentas quae inde a Christo liberatae sunt. Sed probabilius videtur levio rem quamdam immutationem in hunc locum irrepisse, veramque lectionem esse quam LXX, et Vulgata exprimunt: haec mutatio facillime explicari potest si attendatur vocem נפש *anima eius*, ultima litera Vau in Iod mutata, fieri נפשי *anima mea*, et vocem אל si legatur לו significare *ei* aut *ipsi*, et ob similem sonum has voces a librariis permisceri potuisse, ut etiam in aliis Scripturae locis contigit: LXX interpretes certe hoc modo textum legerunt, secus numquam vertere potuissent: *αυτη η ψυχη μου αφοσει ζε*. Symmachus haec cum praecedentibus simul et cum sequentibus coniungit ita: « Qui descendunt in pulverem prosternent se coram eo: ille cuius anima vivet, et cuius posteritas (semen) serviet Domino. » Sed hoc videtur causa conciliandi utramque lectionem inductum esse. Omnibus igitur perpensis, lectio των LXX et Vulgatae praeferenda videtur: *et anima mea illi vivet:* id est cum omnes gentes, et pauperes simul cum divitibus Deum laudabunt, ego quoque, inquit Christus, cum omnibus, et in omnibus et praee omnibus Patrem adorabo, et eius gloriae augendae toto animo incumbam. *Et semen meum*

serviet ipsi, id est Ecclesia seu fideles omnes in me spiritualiter regenerati tamquam mei filii adoptivi Deo servient in spiritu et veritate. In hebraeo pro *semen meum* est tantum *semen*, et haec verba cum sequentibus connectuntur ita ut ad generationem venturam haec referantur.

Annuntiabitur Domino generatio ventura. Haec possunt intelligi obvio sensu, quod futura Christi Ecclesia Domino iubente a prophetis praenunciabitur. Sed melius cum Bellarmino intelligi potest ita: annuntiabitur generationi venturae, seu generatio ventura nuncium accipiet de gloria, de potentia et de doctrina Domini, quasi diceret annuntiabitur de Domino generationi venturae, nobis scilicet qui praedicantibus Apostolis fidei lumen recepimus et in partem beneficii redemptionis vocati sumus: hebraice enim est דור *generatio*, et sensus ita melius cohaeret cum sequentibus (1). In hebraeo separatur *generatio* a voce *ventura*, et huius loco ponitur verbum *veniet* coniunctum cum sequentibus ita: *veniet, et annuntiabunt iustitiam eius.* Quae possunt ita intelligi: generatio, cui de Domino nunciatum est, veniet et annuntiabit sequenti generationi, atque ita usque ad mundi finem propagabitur, et perennabit Dei gloria. Secundum Vulgatam legitur: *et annuntiabunt coeli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Vox illa *coeli* neque in textu hebraico, neque apud LXX legitur, neque habetur in versione Syriaca et Chaldaica, deest quoque in plerisque commentariis Graecorum, imo et in pluribus vetustis latinis psalteriis, ideoque videtur addita explanationis causa in latinis exemplaribus circa saeculum IV (Augustinus enim, et Hieronymus in comment. in h. l. hanc vocem legerunt) et deinceps communiter recepta fuisse (2). Itaque simplex lectio huius loci esset: *annuntiabunt iustitiam eius*, quae referenda sunt ad generationem antea nominatam, quae iustitiam Dei, eius sanctitatem et

(1) Dicitur autem per idiotismum *annuntiabitur generatio*, pro *annuntiabitur generationi*, quemadmodum Matth. XI, 5, dicitur: *Pauperes evangelizantur*, id est: *pauperibus evangelizatur*, et B. Maria Virgo vulgo dicitur *Annunciata* quia ei *annunciatio* facta est.

(2) Ocasio huius levis interpolationis esse potuit similis locus Ps. XCVI, 6, ubi vox coeli recurrit: *Annuntiabunt coeli iustitiam eius, et videbunt omnes populi gloriam eius.*

immensum redemptionis beneficium praedicabit, et docebit populum Deum laudare. Si vero recipiamus vocem *caeli*, tunc verba referenda erunt ad Apostolos, qui coelestes homines fuerunt; et quibus Paulus applicat verba psalmi XVIII: *Coeli enarrant gloriam Dei*; isti igitur annunciarunt iustitiam Dei, seu fidem et gratiam Evangelii qua homines vere iusti fiunt, atque ita novum populum formarunt, populum acquisitionis, gentem sanctam, *populum quem fecit Dominus*, scilicet quem speciali modo sibi Deus formavit regeneratum in Spiritu Sancto, et creatum in operibus bonis. Similis phrasid occurrit in Ps. CXVII, 24: « haec dies quam fecit Dominus, » quam scilicet speciali modo elegit et sanctificavit.

Haec quidem Psalmi interpretatio, qua totus ad Christum refertur longe verosimilior nobis visa est, et Patrum expositioni conformior. Hebraei olim fatebantur haec de Christo dicta esse: at deinceps cum viderent nimis clarum exinde argumentum pro christiana religione desumi id negare coeperunt, et Psalmum integrum ad David referre. Quo tamen nihil absurdius cogitari potest. Multa enim sunt in hoc Psalmo quae Davidi nulla ratione aptari possunt ut ex. gr. quae legantur de multitudine et varietate inimicorum vv. 7, 12, 17, de pedum et manuum transfixione v. 18, et de vestium divisione ac sortitione v. 19, et alia quae unice Christo conveniunt. Accedit nonnullos versiculos huius Psalmi ab Evangelistis et a Paulo explicari de Christo ut v. 1, 19, 23, quemadmodum supra vidimus. Alii ex recentioribus Rabbini post Kimchi existimarunt in hoc Psalmo describi miserum Iudaeorum statum in quo adhuc iacent post eversionem Ierosolymae et gentis dispersionem, ipsamque Hebraeorum gentem dicunt *cervae matutinae* nomine in titulo designari. S. Hieronymus etiam narrat Iudaeos suae aetatis hunc Psalmum referre solitos fuisse ad miseram conditionem Iudaeorum sub Assuero Persarum rege, eiusque ministro Amano Hebraeorum hoste, reginam vero Estherem, a qua liberati sunt cervam matutinam appellari. Verum haec ex dictis falsissima apparent nec ulteriori refutatione indigent; praesertim cum pateat ratio qua Hebraei ad haec comminiscenda adacti sunt, ipsique domestico testimonio revinci possint. Ab his vix abludebat Theodorus Mopsuestenus dum asserbat hunc Psalmum secundum veram et proprium sensum ad ipsum Davidem spectare, et scriptum esse

occasione persecutionis contra eum motae per Absalom, deinde vero ab Evangelistis aliisque hagiographis N. T. per accommodationem, *אז עזבאז*, nonnulla eius testimonia Christo applicata fuisse. Sed haec sententia Theodori in concilio Oecumenico V, collat. IV, damnata est.

Recentiores nonnulli media quodammodo via incedentes affirmant hunc Psalmum ad David simul et ad Christum pertinere, et quidem sive ad David literaliter et ad Christum mystice, cuius passio in Davidis afflictione adumbrata censenda sit, sive ad utrumque literaliter ita ut in pluribus versiculis David de se ipso loquatur, in quibusdam vero et imprimis in citatis versiculis 18, 19 et 23 de Christo, idque secundum verum et obivium verborum sensum. Ita inter coeteros sentit Aug. Calmet Comm. in hunc Psalmum, et recentissime P. Patrizi in citato opere: *Cento salmi tradotti* etc. pag. 96 et seqq., qui etiam suam sententiam mitigat concedens etiam eas partes quas immediate de David scriptas esse putat, mystice tamen ad Christum referri posse. Verum rationes quas isti afferunt nobis minus solidae videntur, nam ea omnia quae Davidi quodammodo convenire possunt, etiam et multo melius Christo conveniunt, deinde ipsum Psalmi exordium Christus utpote de se scriptum in Cruce pronunciat atque ita totum Psalmum seu orationem tamquam ex eius ore prolata fuisse confirmavit, ex Patribus ac Doctoribus Ecclesiae longe plures ac praestantissimi omnia huius Psalmi dicta de Christo intellexerunt, ac demum haec Psalmi explicatio multo nobilior, sublimior ac omni ex parte cohaerentior est quam si duplex in eo subiectum inducatur.

Dogmaticus vero ac moralis huius Psalmi valor certissime patet. Quis enim non videat ex tam clara descriptione passionis Christi ultra mille annos ante adventum scripto consignata veritatem Christianae religionis splendide confirmari? Quis vero ad pietatis sensum et ad ardentem erga Christum Dominum amorem non moveatur cum vividam illius tormentorum narrationem legerit, cumque ipsum audierit supplicii ac tenera oratione Patrem pro se suisque fidelibus exorantem, simulque cogitaverit eum ob nostra peccata tanta passum esse, et mira prorsus charitate nos redemisse, ac fratres suos effecisse? Non est denique omittendum pulcherrimam hanc orationem in pluribus saltem locis unicuique fidelium in speciali qua-

dam tribulatione constituto aptari posse: Christus enim est caput nostrum, nosque membra eius, et sicut decet et nostras afflictiones eius passioni coniungamus ut inde et vim sustinendi et meritum hauriamus, ita possumus Dei auxilium implorare iisdem verbis quibus idem Christus in sua passione Patrem exoravit.

N. 2. Canticum Zachariae (Luc. I, 68-79).
Adnotationes cum Paraphrasi.

1. Εὐλογητός Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ, ὅτι ἐπισκέψατο, καὶ ἐποίησεν λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ.

2. Καὶ ἤγειρεν κέραν σωτηρίας ἡμῶν, ἐν τῷ οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ.

3. Καθὼς ἐλάλησεν διὰ στόματος τῶν ἁγίων τῶν ἀπαίδων προφητῶν αὐτοῦ.

4. Σωτηρίαν ἔξ ἐγβῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς.

5. Ποιήσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν, καὶ μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ.

6. Ὁρκὸν ἐν ὄψει σου Ἰσραὴλ τοῦ πατρὸς ἡμῶν, τοῦ δοῦναι ἡμῖν

7. Ἀσθεῖα, ἐκ χειρὸς τῶν ἐγβῶν ἡμῶν βυσθέντας, λατρεύειν αὐτῷ

8. Ἐν δεισιφρονίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ, πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν.

9. Καὶ σὺ, παῖδιον, προφήτης Ὑψίστου κληθήσῃ, προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου Κυρίου, ἐτοιμάσαι ὁδὸν αὐτοῦ.

10. Τοῦ δοῦναι γνώσιν σωτηρίας τῷ λαῷ αὐτοῦ, ἐν ἀρεταῖς ἀμαρτιῶν αὐτῶν.

11. Διὰ σπλάγγνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, ἐν οἷς ἐπισκέψατο ἡμᾶς ἀντατολῇ ἔξ ὕψους.

12. Ἐπιφάνει τοῖς ἐν σκότει, καὶ σκιᾷ θανάτου καθήμενοις, τοῦ κατευθύναι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης.

68. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

69. Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui,

70. Sicut loquutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius.

71. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos,

72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti,

73. Iusiurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, datum se nobis

74. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberali, serviamus illi

75. In sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

76. Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praebis enim ante faciem Domini parare vias eius.

77. Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum,

78. Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto

79. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

ARGUMENTUM ET ANALYSIS

Auctor cantici est Zacharias sacerdos pater Iohannis Baptistae, qui cum loquela privatus fuisset eo quod angelo praenuncianti Iohannis nativitatem fidem adiungere recusasset, in ipsa pueri nativitate, seu potius eius circumcisionis die loquelam iuxta Angeli praedictionem recuperavit, atque illico sublime hoc canticum effudit spiritu prophetico plenum, quem repente Spiritus Sancti illustratione tunc acceperat (vers. 67). Canticum in duas partes dividitur. Prima pars, 1-8 (v. 69-75) continet laudes Dei et gratiarum actionem pro incepto opere humanae redemptionis, 1-4 (v. 68-71) cuius causas, motiva finem et mirros effectus breviter attingit, 5-8 (72-75). Altera pars, 9-12 (vers. 76-79) ad ipsum puerum Iohannem per apostrophem dirigitur, eius munus prophetae ac praecursoris Domini declaratur, eiusque effectus describuntur. Utraque pars ita contexta est ut unam singulae periodum efficiant pluribus incisus constantem, nulla pausa interiecta.

ADNOTATIONES

1. *Benedictus Dominus Deus Israel.* Intellecto mysterio conceptionis B. M. Virginis Zacharias in haec verba erumpit Deo benedicens seu laudans et gratias publice agens. *Quia visitavit*, subaudi nos, vel melius plebem suam, idest specialem favorem erga populum suum ostendit, haec enim est vis verbi *visitare* apud Hebraeos cum in bonam partem accipitur. *Et fecit redemptionem plebis suae.* Explicat quoddam illud beneficium esset, scilicet redemptio, quam uti iam factam considerat, eo quod in ventre matris iam gestaretur proxime nasciturus Salvator illius redemptionis auctor. Multi existimant Mariam Virginem Christum in utero gestantem ibi praesentem fuisse cum Zacharias haec prophetabat.

2. *Et erexit cornu salutis nobis.* Cornu apud Hebraeos potentiam, seu potentem passim significat; unde phras *cornu salutis* significat potentiam salutarem, vel melius potentem fortissimumque salvatorem, quem dicit a Domino erectum, seu suscitatum (*ἤγειρε*), et quidem *in domo*, seu de familia de stirpe *David pueri*, idest servi, *sui*. Davidi enim similibus verbis Messias de eius domo nasciturus

promissus fuerat Ps. 131: « Illac producam cornu David, paravi lacernam Christo meo. »

3. *Sicut loquutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius;* paulisper immutato verborum ordine legendum est: per os sanctorum prophetarum qui a saeculo sunt, id est, qui ab antiquis temporibus apud Hebraeos extiterunt. Deus igitur horum prophetarum vaticinia implere dicitur.

4. *Salutem ex inimicis nostris etc.* Salutem est accusativus reclusus a praecedenti verbo *loquutus est*: est autem accipienda haec vox in significatione passiva pro salvatione, seu liberatione, illud autem *ex inimicis* non est accipiendum quasi ab inimicis salus ventura esset, ut nonnulli explicare solent, sed quatenus de manibus ipsorum inimicorum, et ab eorum iugo liberari debuimus, quod etiam postea explicatur verbis: *et de manu omnium qui oderunt nos* (4). Sunt autem isti inimici non temporales sed spirituales, daemones, peccatum etc.

5. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti:* in graeco utrumque simili forma exprimitur ποιησαι, μνησθησαι, *facere, recordari*, ideoque clarior esset sensus si utrumque per gerundium redderetur: ad faciendam misericordiam, ad memorandum testamentum. Sunt autem haec coniungenda vel cum proxime praecedentibus, vel cum antea dictis *fecit redemptionem etc.* Sensus autem est: Deum misisse promissum redemptorem, ut misericordiam ostenderet erga patres nostros, tum quia redemptio etiam illos iuvat, ob merita enim Redemptoris salvati sunt, et per illum reipsa de carcere Lymbi educti, tum quia posterorum salus patrum consolatio fuit, quae illam tantopere desideraverant: addit Deum id fecisse ut memoraret, seu recordaretur, vel ostenderet se oblitum non fuisse testamenti sui sancti, scilicet illius pacti quod cum patriarchis primum inierat, et per Moysis ministerium solemniter renovaverat, mittendi nempe Messiam Salvatorem.

6. *Iusiurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum.* Vox iusiurandum vel est in casu accusativo recto a praecedenti verbo *memorari*, vel regitur a subintellecta propositione, *secun-*

(1) In Cod. D Cantabrigensi legitur σωτηριαν εκ χειρος εχθρων ημων και πατριων κ. τ. λ. salutem de manu inimicorum nostrorum et omnium qui oderant nos.

dum, κ. τ. λ., vel melius accipiendum est tanquam explicatio vocis *testamenti* quasi diceret: ut memorem se ostenderet testamenti sui sancti, illius scilicet iusiurandi, seu promissionis iuramento confirmatae, quam fecit Abraham patri nostro: et haec videtur explicatio ceteris praeferenda. Alludit autem ad solemnem promissionem Abrahamo factam post eius obedientiae experimentum Gen. XXII, 16 et seqq.: « Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum... et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae. » *Daturum se nobis*: illud se non est obiectum promissum, ut nonnulli voluerunt, quasi diceret Deum iurasse se nobis daturum semetipsum, in graeco enim nullum est pronomen personale, sed simpliciter verbum τοῦ δοῦναι ἑμῖν: est igitur pronomen *se* casus regens verbum *daturum*, quid autem daturus esset mox dicitur in sequenti versiculo.

7. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi.* Hoc est quod Deus dicitur promississe et iurasse se nobis daturum, id est concessurum, ut scilicet liberati de manu spiritualium inimicorum, et de vitiorum servitute securi et tranquilli Deo soli serviamus, et quidem non per exteriores tantum caeremonias, et multitudinem oblationum, sed

8. *In sanctitate et iustitia coram Ipso*, id est, ex corde et in tima animorum dispositione, seu, uti in Evangelio dicitur in spiritu et veritate, idque *omnibus diebus nostris*, id est, toto vitae nostrae tempore. In his duobus versiculis propheta spiritum novae legis pulchre significat, non sine tacita comparatione cum lege antiqua, quae erat lex servitutis et timoris, et exterioribus ritibus observandis potius quam interiori sanctitati promovendae accommodata.

9. *Et tu, puer, propheta altissimi vocaberis.* Hic incipit secunda pars cantici. Sermonem convertit ad infantem Iohannem, eique primum praedicat dignitatem ac munus propheticum; *propheta altissimi vocaberis*, id est, *eris*, iuxta usum hebraicum. Revera Iohannes maximus propheta fuit, de quo Gabriel Archangelus praedixerat: « Et ipse praecedet ante ipsum in spiritu et virtute Eliae » (Luc. I, 17), et ipse Dominus coram omnibus proclamavit: « Amen dico vobis hic est propheta, et plusquam propheta. » *Praeibis enim ante faciem*

Domini parare vias eius. Quibus verbis alterum Iohannis munus, illudque omnino singulare ac proprium exprimit, praecursoris scilicet Domini, quod pariter et a Gabriele indicatum fuerat, et multis ante saeculis a Malachia IV, 5. *Parare vias eius*, idem est ac hominum corda disponere ut Christum eiusque evangelium recipiant.

10. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius*, non quia Iohannes perfectam scientiam salutis daturus esset per se et directe, sed quia debebat homines poenitentiam praedicando disponere ad salutem, eosque ad Christum ducere aeternae salutis magistrum et auctorem. *In remissionem peccatorum eorum* (1): hoc similiter intelligendum est, non quia Iohannes potestatem haberet remittendi peccata, sed quia homines ad remissionem peccatorum per Christum recipiendam praeparabat, uti etiam mox explicatur.

11. *Per viscera misericordiae Dei nostri.* Remissio peccatorum, adoptionis gratia, coeteraque bona quae per Christum recepimus nullam aliam habent causam quam viscera misericordiae, idest teneram, paternam, et omnino gratuitam misericordiam Dei erga nos, *In quibus visitavit nos Oriens ex alto*: idest ob illam Dei misericordiam factum est ut nos visitaret, seu cum suis donis ad nos accederet (vid. supra v. 4) Christus ab alto coelorum veniens, nobisque apparet quemadmodum sol mane super horizontem elevatur et omnia sua luce collustrat: vox *Oriens* hic non est participium verbi orior, quod regatur a voce Dominus, sed est nomen substantivum significans solem orientem, in graeco enim est substantivum *ανατολη*, hinc sequentia verba *ex alto* non sunt coniungenda cum voce *oriens*, sed cum verbo *visitavit*, aut cum participio subintellecto *descendens*.

12. *Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent*: haec cum praecedentibus connectuntur, et servata metaphora solis orientis, explicant finem et effectus adventus Christi. *Illuminare* a nonnullis accipitur pro imperativo passivo, ita ut verba haec ad Christum dirigantur, sed neque contextus, neque graecum voca-

(1) Plures codices latini legunt *peccatorum meorum*. Sed haec lectio evidenter originem habet ex altera *peccatorum eorum*, ob lapsum calami vel auditus, item non desunt graeci codices qui legant *ημαρτων ημων*. At verborum sensus et contextus omnino requirit receptam lectionem, quae in plerisque et optimis codicibus habetur, *ημαρτων αυτων*, *peccatorum eorum*.

bulum *επιφανε* hoc admittunt (1). Itaque simpliciter accipiendum est pro infinitivo, sed in sensu intransitivo pro *splendere, effulgere*, hoc enim graecum verbum *επιφανε* significat: divinus igitur sol Christus ex alto apparuit ut fulgeret, (infinitum enim ut supra v. 5 pro gerundio accipitur) omnibus hominibus qui hucusque in *tenebris* iacerant *et umbra mortis*, idest, umbra et caligine densissima, non quidem materiali, sed spirituali errorum, ignorantiae ac superstitionum: quo etiam magis magisque extollitur divina illa misericordia et paternae viscera charitatis, quae nos non merentes et paratos, sed immerentes et indignos visitavit et servavit. *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*; en alter effectus Christi adventus, qui nos e tenebris liberatos in rectam iustitiae, et salutis viam adduxit, quae vere *viam pacis* dicitur, tum quia pax et tranquillitas est in ea ambulantibus, tum quia ad aeternam pacem ac requiem homines ducit.

Subiicimus hic totius cantici paraphrasim, quae omnes praecedentes explicationes resumit, et sub oculos ponit.

Paraphrasis totius cantici

1. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit favore suo plebem suam, et iam incoepit opus eius redemptionis,
2. et suscitavit nobis ex familia et stirpe David servi sui Salvatorem potentissimum:
3. quemadmodum iam dudum per os veterum suorum Prophetarum nobis promiserat
4. liberationem ab inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos:
5. suscitavit, inquam, nobis Salvatorem ad implendam misericordiam nobis, patribusque nostris promissam, et ad ostendendum se oblitum non esse sancti sui foederis,
6. illius scilicet iurisiurandi, quo iuravit ad Abraham patrem nostrum, se nobis concessurum

(1) Pauci codices habent *επεφανη*, idest apparuit. In Cod. D legitur *επιφανε* φως, sed moralis codicum consensus lectionem vulgatam veram ostendit, quae postea forte difficultatis removendae causa a nonnullis leviter immutata fuerit.

7. ut liberati de manu inimicorum nostrorum, non in spiritu timoris, sed amoris serviamus illi

8. in sanctitate, et vera, ac interiori iustitia omnibus diebus vitae nostrae.

9. Tu autem puer, fili mi, tu, inquam, eris propheta Altissimi; siquidem praecedes ante faciem Domini Redemptoris ad praeparandam illi viam,

10. et ad impertiendam plebi eius scientiam salutis, ad hoc ut illis remittantur peccata;

11. Non tamen ex tua virtute, sed per Dei gratiam et ineffabilem misericordiam, qua idem Salvator, qui est sol oriens, ab alto descendens nos visitavit,

12. ut fulgeret iis qui in densissimis tenebris calamitatum et peccatorum iacent, et ut nobis ostenderet tutam viam, quae ad veram pacem salutemque perducit.



APPENDIX II.

DE SACRAE SCRIPTURAE LECTIONE IN LINGUIS VULGARIBUS

Cum ageremus de S. Scripturae versionibus eas divisimus in antiquas et recentiores, seu liturgicas et vulgares, prout nempe vel linguis nunc mortuis exaratae sunt, quae plerumque in vetustis liturgiis supersunt, vel linguis adhuc vivis ac vernaculis. De his postremis pauca tantum animadvertimus eo quod in criticis ac theologicis quaestionibus nullius ponderis sint, sive quia recentius vulgatae, sive quia a privatis hominibus et ad privatum fidelium usum editae fuerunt. Nunc tamen de his quaedam pertractanda sunt ad Protestantium errores circa Scripturae lectionem refellendos, et Ecclesiae praxim ab eorum accusationibus vindicandam (1).

ARTICULUS I.

BREVIS HISTORIA CONTROVERSIAE

Primi Ecclesiae temporibus, ut alias vidimus, in omnes paene linguas Scriptura translata fuit, et fideles populi sua quique lingua sacros libros et in Ecclesia legi audiebant, et ipsi in suis domibus asservabant et assiduo legebant, nec Ecclesia ullum impedimentum

(1) De hoc argumento copiose docteque tractarunt P. Oherbinus a S. Ioseph: *Bibliotheca Criticae Sacrae*, seu *Apparatus Biblicus* to. I, Dissert. Proöm. et to. IV, Lovanii 1804; I. B. Malou: *La Lecture de la sainte Bible en langue vulgaire*, Lovanii 1846 2 Vol. in 8°; item Fontana in: *Constitutio Unigenitus theologiae propugnata* Romae 1721, to. III. Brevius autem P. Perrone in *Tract. de Locis theologicis* Part. II, Sect. I, Cap. IV, Propos. II, et Cap. V, Prop. I, et II, item Th. I. Lamy *Introductio in S. Scripturam* to. I, c. IV, ed. 2^a Lovanii 1872.